

in deo condere quam in homine. benedictus deus pater domini nostri ihesu christi pater misericordiarum & deus tocius consolacionis qui nos desolatos non dereliquit. sed misericors in omni tribulacione nostra nos misericorditer ex alto uisitauit. qui nos in superlatiuo gradu super capita hominum constituens. pastorali dignitate decorauit. vnde creatori in omnibus & super omnia laudes & gracias digne referimus in perpetuum. iusticie & ueritati fideliter assistentes. a deo gratis accepta pro deo uolumus gratis impendere uniuersis. talia decent prelatos. et eosdem corona mirifice coram deo credimus decorare. Nos itaque freti rerum discrecione patrum ordoxorum uestigia sequentes que in diocesi nostra secundum decretorum institutiones tempore nostro instituuntur uolumus consolidare. & canonicè confirmare. decetero notum fiat uniuersis. que ad sustentacionem canonicorum nostre metropolis esse. quos pro deo nouimus pondus diei & estus sustentare. mansionem quandam que housbuj nominatur. igitur non pecunia nostre ecclesie set potius propria facultate nouimus adquisitam ad nostra peccata redimenda concedimus inperpetuum. & ne super hoc ulla aput aliquos oriatur ambiguitas inposterum. illud sigilli nostri priuilegio confirmamus. & corroboremus. Si quis autem contumax & deo contrarius contra hanc donacionem temere uenire presumserit. ab omni diuino officio separetur. & uinculo anathematis absque dubio innectitur Preterea qui hanc institutionem ratam & inconuulsam affectant permanere. nostram domini nostri ihesu christi & sancte marie & omnium sanctorum & nostram benedictionem consequatur inperpetuum; Valet.

Sigillet, något skadadt, finnes.

827.

1200—1201.

Ärke-Bisk. ABSALONS i Lund Testamente af fastigheter och lösören till andeliga inrättningar och namngifne personer.

L. a. 1.

Testamentum Quod pius Pater noster Absolon Archiepiscopus ante obitum suum confecit.

Quæ præsentì pagina continentur, ex testamento legauit & donauit. Venerabilis Dominus Absolon Lundensis Ecclesiæ Archiepiscopus, Sueciæ Primas, ad hoc uocatis & præsentibus Domino Esberno, Fratre suo, & Domino Gaufrido Abbate de Sora, & Tochone & Achone Præpositis & Magistro Johanne & Thordone Capellano suo, Lundensis Ecclesiæ Canonicis, & Anfrido Presbittero, & Haquino Camerario suo, & Paulo & Simone pueris suis, & Henrico Conuerso de Sora, totum uidelicet patrimonium suum, excepto Fialensleue, quod Fratri suo contulit, Monasterio de Sora donauit.

Monasterio de Aas in Hallandia Vathby, cum omnibus attinentiis suis, excepto molendino donavit & scotavit. Ad mensam Canonicorum Lundensis Ecclesiæ Esbiruth cum molendino in Rogen, & cœteris suis attinentiis sylvis omnibus & terris donavit & scotavit. Similiter Saxulstorp in Ruma cum Ecclesia & cœteris suis attinentiis eisdem Fratribus ad mensam donavit & scotavit. Ad candelas cereas utriusque Coronæ & ad cereum nocturnum in monasterio Beati Laurentii quatuor marcas argenti singulis annis de censu Civitatis, qui vulgariter dicitur Midsommers Gylde, dedit. Venerabili Domino Erico Nidrosiensi Archipræsuli, propter Justitiam exulanti, centum marcas argenti. Martino Bergensi Episcopo, quinquaginta marcas argenti. Nigello Episcopo Staffengrensi, quinquaginta marcas argenti. Ivaro Hamarcopensi Episcopo, quinquaginta marcas argenti. Nicolao Aslonensi Episcopo, ciffum argenteum & scutellas argenteas, quas idem Episcopus ei quondam dederat, donavit. Domino Regi ciffum argenteum mirabiliter fabrefactum, quem Dominus Nidrosiensis ei quondam dederat, & vasculum aureum cum musco dedit. Dominus Suno ei tenebatur reddere CXXX. marcas argenti, & illud debitum Domino Petro Roschildensi Episcopo & Fratribus suis reliquit. Episcopo Roschildensi quinquaginta marcas argenti duabus minus concesserat ad emendum Alstofta, quas idem Episcopo remisit, & ciffum argenteum, quem ei quondam dederat, donavit. Fratri ejus Domino Cancellario, ciffum argenteum, quem ei Dominus Suno quondam dederat, legavit. Domino Esberno ciffum argenteum, quem Hildebrand fecerat, & parvum ciffum, de quo Pater ejus potiones accipere solebat, & cuilibet filiorum suorum ciffos argenteos de majoribus ciffis dedit. Domino Alexandro ciffum argenteum de melioribus & loricas quas habebat & duobus filiis suis, duos ciffos argenteos modicos dedit. Dominæ Margaretæ duos ciffos Rojanorum Idolorum. Canonicis de Paraclito ciffum argenteum de plano opere, ponderantem circiter decem marcas argenti. Majorem ciffum argenteum quem Sora habuit, Capellæ de Sora dedit, ad calicem faciendum. De scutellis suis argenteis jussit calices fieri in monasterio B. Laurentii fortes & sufficientes: quod vero his prædictis de ciffis argenteis & scutellis super fuerit ad perficiendas Coronas in templo reservari præcepit. Dominus Alexander habuit octo marchas auri & dimidiam ad opus casulæ & coronarum, ex quo auro magnam partem casulæ jam apponi feci. Eschillus presbyter annulos aureos habet ad opus eorundem reservandos; argentum quod Liuthgerus ei tenebatur persolvere, totum pauperibus jussit erogari. Dominus Archidiaconus de argento, quod accepit pro decimis & a presbyteris & de argento, quod habet Dominus Alexander, Domino Archiepiscopo Nidrosiensi, & Episcopis prædictum argentum persolvat, & quod residuum fuit, inter monasteria Scaniae & Selandiæ fideliter distribui præcepit. Dominus Alexander autem ar-

gentum suum non habet, nisi quantum conflari poterit ex septingentis mar-
 cis denariorum Scaniensium veteris monetæ, & ex eodem argento præcepit
 Domino Alexandro, ut XVI. marcas Soræ mitteret quibusdam persolvendas.
 Argentum quod Hericus filius Harinæ, & Sueno frater ejus, & Conradus de
 Tumethorp ei tenetur persolvere, cujus debiti summam Archidiaconus novit,
 præcepit reservari. Debitum, quo Bondo filius Gamalielis ei pro donatione
 exactionum tenebatur, heredibus ipsius Bondonis totum pro anima sua re-
 misit. Herico Batti cappam forratam de pellibus marturum dedit. Magistro
 Petro Capellano Archiepiscopi Nidrosiensis cappam forratam de pellibus gri-
 seis dedit. Decano Lundensi pallium marturum dedit. Thordoni Cappellano
 suo superpellicium cum pellicio de marturibus, & cappam vario forratam &
 juppam vario forratam dedit. Simoni minorem juppam de griseo forratam:
 Petro Stamma griseum pallium quotidianum. Marsilio coco, coopertorium
 vulpinum dedit. Petro Stabulario equum, quem filius Biörn ei donavit, de-
 dit. Fratri ejus Wlff loriam, quam Esbernus Mule ei dedit, donavit. Ha-
 quino Camerario suo equum dederat, quem Bondo ei dedit. Equum brunei
 coloris Haquino Normanno dedit. Nigrum equum, quem Soræ habuit, eidem
 monasterio reliquit. Equum blaccatum Domino Archiepiscopo Nidrosiensi dari
 præcepit. Eschillum Bathsven libertate donavit. Mulieres, quas Nicolaus Stab-
 bellarius de libertate in servitum suscepit, ubicunque reperiantur, cum
 filiis suis libertate donentur. Mulierem acceptam de Biargaherred in Scania
 cum filiis suis libertati donavit. Saxoni Clerico suo duas marcas argenti &
 dimidiam concessit, quos sibi donavit. Saxo debet duos libros, quos Ar-
 chiefiscopus ei concesserat, ad monasterium de Sora referre. Magistro Jo-
 hanni biccarium argenti dedit. M. Walthero pallium griseum, quo in na-
 tivitate Domini vestiebatur, dedit. Annulos aureos quindecim cum lapidibus,
 & sedecimum sine, lapide monasterio B. Laurentii dedit ad plenarium fa-
 ciendum. Præposito Achoni minorem ciffum argenteum, quem Sora habuit,
 dedit. Argentum quod apud Cluniacum habuit, dimidium eidem monaste-
 rio contulit, medietatem vero ad Claram Vallem transmitti præcepit. Ecclesiæ
 de Wellinge tenebatur argentum reddere, cujus summam Archidiaconus no-
 vit. Ecclesiæ de Stangby tenebatur mansum unum reddere, quem dedit pro
 manso in Köpingh, & jussit ut Ecclesia in Stangby habeat mansum in Kö-
 pingh, donec de Episcopatu reddatur. Præbendæ cuidam tenebatur dimidium
 mansum in Huphackre, & jussit ut in Arleff haberet dimidium mansum,
 donec de Episcopatu reddatur. Præbendæ Nicolai Monialis dimidium man-
 sum in Asmundathorp, & jussit ut in Nybyle haberet in parochia de Sa-
 xulstorp, donec solvetur de Episcopatu. Magister Hugo proprium præben-
 dæ suæ habeat, donec de Episcopatu persolvatur. Archidiacono dedit pal-
 lium magnum de Lækatt, si sit ibi, & si ibi non sit, lectisternium forratum

de marturibus ei donavit. Jofrido Coco, duas cappas pluviales, alteram forratam. Præcipue Archidiacono præcepit, ut campanam quam facere proposuerat, consummaret. Magistro Hugoni lectisternium vario forratum. Nicolao filio Archidiaconi superpelliceum vario forratum. Eschillo Presbytero cappam forratam, quæ est in castro de Haffn. Christianum Cocum, qui injuste captus erat in servitutum, libertate donavit. Achoni magistro laterum, & Achoni Lapidæ præcepit ut Archidiaconus beneficeret. Pixidem argenteam cum reliquiis monasterio de Sora dedit. Retribuat ei Dominus mercedem in vita æterna Amen.

828.

1202—1241.

Kon. WALDEMARS i Danmark Bref till Lybeck med tillstånd att uppå Predikare-Brödernas begäran, få vid Falsterbo uppföra en fyrbåk; förbud att den samma ofreda, och tillstånd derjemte att i Riket hugga för den samma behöflig ved.

K. v. 64.

WOLDEMARVS Dei gracia Danorum Slavorumque rex. Omnibus presentes litteras inspecturis salutem & gratiam. Cum idem quod rationabile est petitur, conveniens est, ut pia exaudicio subsequatur. Hinc universitati nostre Lubicensi notum facimus, quod nos ad rogatum fratrum ordinis predicatorum & ob dilectionem omnium mercatorum indulgemus in Falsterbode fieri signum aliquod discretivum pro vitando periculo navigantium, quin immo grates referimus omnibus tam pio operi operam exhibentibus efficacem. Ut autem opus huiusmodi post quia multis expensis & laboribus fuit consummatum inviolabile perseveret, inhibemus districtius omnibus in nostro dominio constitutis sub obtentu gratie nostre, ne quis illud ausu temerario palam vel occulte infringere audeat vel vastare, & super his presentem paginam conscripsimus, sigilli nostri munimine roboratam. Ceterum prefatum opus favore debito prosequi cupientes ligna ad hoc necessaria in regno nostro secandi liberam concedimus facultatem.

829.

1210—1216.

Konung ERIC KNUTSSONS Bref om gränsen för Byarums klostres ägor uppå skogen vid Stigamo.

D. a. 7: 45r. *)

ERICUS D. G. Sweorum Rex, uniuersis sanctæ matris ecclesiæ filiis presentibus et posteris præsens scriptum cernentibus perpetuam in Christo

*) Med anteckningen: "Collat. med K. Waldemars Orig. PermCop." Se föregående N:o 492.